



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Qvæstio XIII. De potentia animæ Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

ARTICVLVS III.

Vtrum Christus aliquid ab homine didicerit?

Resp. neg.

20.

Resolutio

D. Tho. vi-

detur pati

difficultate

supposita

doctrina

art. 2.

Obiectio.

21.

Quid ref-

poderit pos-

sit?

22.

Auctoritas

dicium.

Reipsa mi-

nus decuit

vt Christus

hac ratione

res cognos-

ceret.

NEGAT. Cum enim esset constitutus Doctor hominum, non erat conueniens vt ab aliquo homine quidquam disceret, & non decuit aternam Dei sapientiam ab hominibus doceri. Vnde S. Th. responsione ad 1. ait, quod quando Christus alios interrogauit, id non fecerit vt disceret, sed vt alios sapienter erudiret.

Aduerte conclusionem esse communem Doctorum, quam etiam indicat Patres. & quidem esse satis claram iuxta sententiam quam dubio precedenti censuimus probabiliorem, tamen iuxta sententiam S. Th. videri pati nonnullam difficultatem: cum enim, iuxta illam sententiam, paulatim acquisierit habitum scientie naturalis & potuerit proficere in ea scientia, quid repugnat quod minus etiam hac ratione potuerit proficere? licet enim fuerit Doctor quoad supernaturalia & pertinentia ad salutem, si tamen potuerit proficere in scientia, quidni potuit proficere per homines quoad modum sciendi quo non erat eorum Doctor?

Dices fortasse non potuisse, quia assensus qui sequitur in vno ex doctrina alterius est assensus fidei humanæ cui proinde potest subesse falsum, & proinde credendo hominibus Christus se exposuisset periculo erroris.

Sed satis constat non omnem assensum qui ex doctrina vnius oritur in alio, esse assensum fidei. nam discipulus non semper assentitur rebus quæ proponuntur à magistro quia ipse dixit, sed illo proponente obiectum & suo modo illuminante intellectu, discipulus sapens proprio discursu inuestigat num ita se res habeat, & assentitur vel non assentitur iuxta conditionem mediæ ex quo aduerterit rem ita vel aliter se habere. Potuit ergo Christus hoc modo per alterius disciplinam cognoscere ea quæ nunquam nouerat, absque erroris periculo, non minus quam cum propria inuentione aliquid de nouo sciebat per scientiam naturalem. Adde quod licet modus aliquis esset expositus periculo erroris si in subiecto non sit superior aliqua vis per quam cesset periculum, si tamē ea vis inueniatur in aliquo, cessare erroris periculum, & proinde videri quod intellectus possit præbere assensum rei hoc modo propositæ quando per virtutem superiorem talis assensus non impeditur. In Christo autem fuit non solum visio beatifica, sed & scientia infusa, per quam certò cognoscebat quidquid poterat cognoscere per scientiam naturalem, & per quam poterat aduertere num id quod per tale medium proponitur hinc & nunc sit falsum. & si deprehendebat esse falsum, efficere vt Christus cohiberet assensum. Quod si per scientiam infusam non aduertebatur esse falsum, poterat præbere assensum etiam sine erroris periculo.

Resp. ad hoc posterius, quamuis materialiter verum esset quod assumitur, quia tamen medio assentiendi potest subesse falsum, verè minus decuit se vt Christus hac ratione res cognosceret, & obiectiōnem de illo modo bene procedere, & hoc sensu videri communiter doceri quod Christus nihil didicerit ab homine.

Quantum ad prius dico quod licet prior modus non inuoluet eam imperfectionem, tamen non vi-

deatur etiam eo modo quidquam ab homine didicisse, quia ex Ioan. 7. & Marci 6. colligi potest quod non fuerit vsus alterius magisterio.

Ioan. 7.
Marci 6.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Christus aliquid acceperit ab Angelo?

NEGAT. Quod probat auctoritate Dionysii cap. 7. celestis hierarchiæ, & ex eo quod Christus esset Doctor Angelorum, quem proinde non decebat ab illis instrui.

Resp. neg.
Dionys.
23.

Notandum Lucæ 22. dici quod Christo apparuerit Angelus de cælo confortans eum; quod Patres & Doctores varijs modis ita interpretantur, vt ex eorum explicatione non sequatur quidquam ab eo didicisse. Aliqui exponunt quod licet Christus nihil ignorauerit, & optimè potuerit considerare ea quæ facerent ad leniendum animi dolorem quem sponte permiserat, inde tamen nullum solatium cepit. Vnde Angelus tanquam minister conatus sit eum confortare, illa omnia proponendo quæ dolorem lenire possent; quemadmodum interdu amicus solatur amicū ad quæ factum fuerit ad ostendendam veritatem humanæ naturæ eiusque imbecillitatem se sibi relinquitur; & quātum humanitas diuino auxilio indigeat. Videri potest S. Th. ad 1. Med. & Suarez, qui pro ea explicatione plures Patres citat. quam tamen consolationem non admiserit; nam eodem capite subiungitur, & factus in agonia prolixius orabat.

Explicatur
varie locus
Luc. 22.

Alij existimant Angelum nullam Christo adhibuisse consolationem, sed potius laudasse eius robur & magnitudinem animi, quod scilicet tam prompto animo sese vltro morti offerret, quasi dicendo, tua est potentia, tuum robur, tuus honor, tua gloria. Nam verbum *confortare* sumi potest vt idem sit quod robur & fortitudinē alicui adscribere. Hanc sententiam tenet Vasquez disp. 56. cap. 2. pro qua citat aliquos Patres.

S. Th.
Med.
Suar.

24.

Confortare
sumi potest
vt sit idem
quod robur
alicui ad-
scribere.
V. 49.

QVÆSTIO XIII.

De potentia animæ Christi.

ARTICVLVS I.

Vtrum anima Christi habuerit omnipotentiam simpliciter?

I.

NEGAT; ex eo quod omnipotentia sequatur esse infinitum, seu diuinam naturam, sicut passio consequitur formam. Per mysterium autē Incarnationis ita conueniunt duæ naturæ in vna personā, vt neutra natura habuerit alterius proprietates; sed sicut singulæ naturæ permanent inconfusæ, ita singulæ suas proprietates retinuerint. Præterea constat naturam humanam in Christo dependisse à Dei concursu in suis operationibus, quod repugnat omnipotentia.

Resp. neg.

Conclusio est certa apud Catholicos, & contrarius error hæreticorum nostri temporis non solum repugnat fidei principijs, sed etiam luminis naturali, ex quo constare potest omnipotentiam non solum non esse reipsa communicatam crea-

Error hę-
reticorū no-
stris tempo-
ris.2.
Omnipoten-
tia non est
communicabi-
lis creatura.

tura,

tura, sed nec posse communicari, quod aperte deducitur ex rationibus iam factis. 1. quia repugnat naturam omnipotentem depedere à quopiam alio in sua operatione, & requirere necessario alterius concitulum ut operetur, quem tamen concursum requirit omnis causa creata.

2. Omnipotentia requirit ut natura quæ dicitur omnipotens, virtute sua intrinsecâ tanquam causa principalis possit facere quicquid non repugnat, & per consequens dicit virtutem quandam essentialiter infinitam, quod repugnat creaturæ. Virtutem essentialiter infinitam repugnare omni creaturæ, ex eo patet, quod omnis creatura in sua essentia & natura sit finita, ergo & in virtute agendi, cum hæc virtus proportionetur naturæ. Quod verò omnipotentia dicat virtutem quâdam essentialiter infinitam, prob. ex eo quod in eius obiecto non datur status, sed quolibet dato datur aliud & aliud in infinitum perfectius, quod per virtutem omnipotentem potest recipere esse; id autem fieri nequit si vis influens esse sit finita.

Conf. natura omnipotens debet continere perfectionem omnis entis producibilis; non formaliter, ergo eminenter: ergo per formam quæ sit longè excellentior quàm sit tota collectio entis possibilis. Sed non potest continere eminenter huiusmodi perfectionem nisi sit essentialiter infinita: quod prob. in perfectione entis possibilis non datur status, ut dictum est; ergo forma quæ eminenter continet talem perfectionem, debet esse simpliciter & essentialiter infinita, cum finitum non possit eminenter continere collectionem quæ in perfectione essentiali non habet statum.

Eadem conclusio pluribus probari solet & potest, sed hæc abunde sufficiunt, nec contra potest quidquam obijci quod sit alicuius momenti. Soluam.

Adverte in solutione ad 2. scientiam & potentiam non ita se invicem comitari, ut ea omnia possumus facere, quæ possumus scire: quia per scientiam non confertur rei esse reale, atque adeo non requiritur ut sciens habeat in se virtutem attingendi effectum per realem influxum, quod requiritur ad potentiam actiuam, quæ est principium attingendi ipsum effectum in se.

ARTICVLVS II.

Vtrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu immutationis creaturarum?

POSTQVAM S. Th. egit de omnipotentia absolute, quam negavit animæ Christi, querit de potentia secundum quid, an scilicet anima Christi habeat omnipotentiam ad immutandas creaturas iam productas: id enim est aliquo modo diuersum. Premissis autem duabus distinctionibus, quæ in textu videri possunt, respondet tribus conclusionibus.

1. Anima Christi secundum propriam virtutem naturalem vel gratuitam, habuit potestatem ad omnes effectus qui sunt animæ conuenientes, ut ad gubernandum corpus, ad disponendos humanos actus, ad illuminandas creaturas rationales, eò quod haberet gratia & scientia plenitudinem.

2. Eadem anima considerata ut instrumentum Verbi diuini habuit virtutem instrumentalem ad omnes actiones miraculosas, quæ poterant ordinari ad finem Incarnationis.

3. Non tamen habuit potestatem redigendi creaturas in nihilum; quod ex eo ostendit, quia potestas annihilandi respondet potestati creandi, quam S. Th. supponit ex 1. parte non posse communicari creaturæ. Ex his infer animam Christi non habuisse omnipotentiam circa immutationem creaturarum.

D V B I V M

Quomodo humanitas Christi concurrerit ad miracula patranda?

SUPPONO tanquam certum de fide, Christum dominum vera patrassse miracula; quod constat ex innumeris testimonijs Euangelij, ex quibus etiam constat fuisse adeo manifeste patrata, ut turbe passim eum laudarent & glorificarent: nam Matth. 9. viso miraculo facto circa paralyticum, turbæ timerunt & glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus; nec vnquam ea negarunt Pharisæi, sed dixerunt patrari ope & auxilio demonis, ut patet Matth. 12. quod non tam ex interiori iudicio videtur ab eis dictum, quàm ex odio Christi, & ut eius auctoritatem apud plebem eleuerent.

Verum falsitas dicti ipsorum patet, quod resuscitatio mortuorum superet omnem vim creatam etiam demonis; eandem superet restituere visum cæco nato.

2. Christus miracula patravit in testimonium quod esset Filius Dei & Messias in lege promissus. Vnde discipulis Ioannis Baptistæ Matth. 11. interrogantibus quis esset, an videlicet esset Messias, in signum veritatis, & quod verè esset Messias, recenset ea miracula quæ Isaias prædixit Messiam patraturum; euntes veniuntque Ioanni quæ audistis & videristis. cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt. Eadem habentur Lucæ 7. Si autem ea patrasset virtute & auxilio demonis, turbæ fuissent grauitè deceptæ in eo quod fuissent inductæ ad credendum Christum esse Filium Dei qui tamen non fuisset, & ad credendum eum esse Messiam, & venire ad destruendum opera diaboli, qui tamen ipse diaboli esset instrumentum; & proinde vel fuit Deus, & diuinâ virtute patravit miracula, vel Deus qui talia fieri permisit in testimonium quod esset Messias, grauitè homines decepit talibus miraculis suam interponens auctoritatem, & per illa tacitè mendacium approbans, quod est alienum à diuina prouidentia: sic enim tota fides collabasceret.

Ex dictis facile conuincuntur erroris aliqui qui dixerunt Christum dominum utpote optimi temperamentum patrassse miracula virtute naturali. cum enim credant Christum miracula patrassse, quia de ijs clarè constat ex scriptura, ex eadem credere debent non patrassse virtute naturali. Nam Matth. 9. vis patranda miracula refertur in peculiarem Dei gratiam. 2. si hæc virtus procederet ex complexione naturali, esset inepta ad comprobendam Christi diuinitatem, & quod esset Messias in lege promissus. 3. ex scripturis constat in Ecclesia esse potestatem supernaturalem patranda miracula, nam concedi à Deo gratiam sanitatum, & operationem virtutum constat ex cap. 12. 1. ad Cor. ergo dici potest & debet Christum eadem potestate miracula patrassse.

Conf. 1. nulla vis naturalis potest mortuum susci-

5. Statuitur Christum patrassse vera miracula. Matth. 9.

Matth. 12.

Matth. 11.

Eus. 7.

6.

Coroll. Non potest dici patrassse miracula virtute naturali temperamento. Matth. 9.

Cor. 12.

Conf.

suscitare, visum cæco nato restituere; ergo hæc non possunt referri in optimum Christi temperamentum; ergo idem dici potest de innumeris alijs.

Conf. 2. si Christus propter temperamentum tam multiplicis generis miracula virtute naturali patrarit, non esset neganda alijs hominibus vis saltem aliquis naturalis ad similia miracula, ut hic ratione temperamenti febres curaret, alius auditum restitueret, alius usum linguæ, alius claudum sanaret &c. pro maiori vel minori accessu ad optimum temperamentum; cumq; huiusmodi potestas non subiacet libertati eorum quibus inest, naturaliter operabitur, & ita necessario sanabit omnem morbum respectu cuius dicitur inesse potestas. hæc autem sunt contra omnem sensum & experientiam, ergo.

7.

Neque efficacitate
imaginatio-
nis.

Thomistæ
cōmuniū
tenent hu-
manitatem
concurrere
ad miracula
per modum
instrumen-
ti physici.

Casert.

Medin.

Sor.

Valent.

Suarez.

8.

Suadetur 1.

ex scrip-
t. Luc. 6. & 8.

Matth. 8.

Secundò
ex Conc. &
PP.

Conc. Eph.

6. Syn.

Tertiò, ra-
tione.

9.

Varij variè
hanc vim
physicam
explicant.

Videtur fa-
uere D. Th.

10.

11.

12.

13.

14.

15.

16.

17.

18.

19.

20.

21.

22.

23.

24.

25.

26.

27.

28.

29.

30.

31.

32.

33.

34.

35.

36.

37.

38.

39.

40.

41.

42.

43.

44.

45.

46.

47.

48.

49.

50.

51.

52.

53.

54.

55.

56.

57.

58.

59.

60.

61.

62.

63.

64.

65.

66.

67.

68.

69.

70.

71.

72.

73.

74.

75.

76.

77.

78.

79.

80.

81.

82.

83.

84.

85.

86.

87.

88.

89.

90.

91.

92.

93.

94.

95.

96.

97.

98.

99.

100.

His positis controuertitur inter scholasticos qua ratione humanitas Christi concurrerit ad miracula, qua de re duæ sunt sententia.

Prior asserit concurrere per modum instrumenti physici, ita vt habuerit veram & realem efficientiam in opera miraculosa. Hanc tenent communiter Thomistæ, Caiet. Med. in expositione 3. difficultatis. Soto in 4. dist. 1. q. 3. art. 5. Val. disp. 1. q. 13. p. 2. §. secundo dico; qui plures citat, quos etiam citat & sequitur Suarez disp. 31. sect. 3. qui fuse in sequentibus id prosequitur.

Et probat 1. autoritate scripturæ Lucæ 6. *virtus de illo exibat & sanabat omnes.* & cap. 8. *ego noui virtutem de me exisse.* non potest dici virtus de illo exire nisi ratione physice efficientiæ: item Christus patrarit miracula imperando & tangendo, vt patet Matth. 8.

2. Concilium Ephesinum, can. 11. definit, carnem Christi esse viuificatricem. Sophronius in epistola qua refertur in 6. Synodo generali actione 11. & approbatur actione 13. dicit Christum per carnem suam efficere opera que erant diuinitatis indicia. simili modo loquuntur alij sancti.

3. Non repugnat quod minus humanitas concurrat physice ad patratiōem miraculorum, & id facit ad dignitatem humanitatis Christi; ergo omnino censendū est, ita concurrere. Conf. humanitas dicitur instrumentum, organum diuinitatis, quod non videtur aliter commodè explicari, quam quia diuinitas illa vtitur tanquam physico instrumento ad patranda miracula.

Tandem isti sententiæ fauet S. Th. hic, qui sentit humanitatem tanquam instrumentum habere virtutem circa operationes miraculosas, quam negat eidem ad annihilandum. non deberet autem negare virtutem annihilandi, si solum velle humanitatem moraliter concurrere ad miracula, quia simili ratione posset annihilare, nimirum id à Deo impetrando.

Hæc vis physica instrumentaria varijs modis explicatur ab authoribus illius sententiæ, vt videre licet apud Suarez disput. citatā sect. 5. Primò enim aliqui censent humanitati datam qualitatem aliquam superioris ordinis tanquam eius instrumentum ad actiones miraculosas efficiendas. sed hanc sententiam multis bene refutat Suarez supra.

Secundò aliqui censent hanc virtutem miraculorum non esse qualitatem aliquam humanitati inhaerentem, sed motum artificiosum impressum actionibus humanitatis, per quem illæ eleuabatur

ad effectus supernaturales, quæ explicatio merito eidem displicet, quia concipi nãquit quid sit ille motus artificiosus præuius actioni.

Contra vtumque istum modum explicandi facit, quod vel illa virtus sit proportionata effectui miraculoso, vel non sit: dicatur prius, datur vis creata quæ possit esse causa principalis operationis miraculose, quod à nullo conceditur. Si dicatur posterius, ergo creatura cum tali virtute remanet impotens facere miracula, & proinde illi vis alia debet superaddi, de qua simile argumentum in infinitum fieri potest; ergo non potest res sufficienter explicari per aliquid siue permanens siue transiens, siue se habeat per modum qualitatis, siue tanquam motus inherens ipsi creaturæ quæ assumitur ad opera miraculosa.

3. Aliqui censent humanitatem Christi non reddi aptum instrumentum per aliquid physicum sibi superadditum, sed solum quia subordinatur diuinæ voluntati, vt per suam actionem intinet diuinum imperium per quod omnis effectus fieri potest; quam sententiam etiam ex eo reprobat, quod non tam adstruat physicam causalitatem quam destruat.

His explanationibus exclusis censet virtutem instrumentalem non esse quidquam superadditum humanitati ipsi inhaerens, sed esse potentiam obedientiam actiuiam, seu ipsam humanitatem quæ cum proportionato concursu Dei potest quidquid placuerit Deo per illam fieri.

Posterior sententiæ censet concurrere solum moraliter, seu per modum causæ moralis. Colligi potest ex ijs que docet Scotus in 4. dist. 1. q. 1. §. *ideo dicitur potest.* Tenet Dur. in 3. dist. 14. q. ult. Val. disp. 57. cap. 5. Becanus de Incarnatione cap. 10. Ragusa disp. 106. §. 3. qui plurimos citat: & quidam alij recentiores; quam Val. sup. §. *est autem*, fateretur fuisse pane communem antiquorum Theologorum.

Dico 1. humanitas Christi concurrat ad miracula per modum applicantis & quodammodo deferentis diuinam virtutem & potentiam, ita vt humanam naturam Christi volente miraculum fieri, illud fieret eo modo quo volebat, non quod Deus possit pati necessitatem ab illa creatura, sed quia simul atque voluit naturam humanam euehere ad vniōem cum Verbo, simul decreuit ea miracula patrare quæ natura humana fieri velle conuenientia fini Incarnationis; quod non est facere Deum pedissequum humanæ voluntatis, quia illa hypothesi fuit Deo liberrima, & per eam non tollitur Deo supremum ius in creaturam, quemadmodum non est pedissequus creaturarum quādo cum illis concurrat ad operationes, quas illæ nullo modo possunt exercere absque eiusdem cooperatione.

Dico 2. humanitas Christi neque illo modo, neque physice tanquam instrumentum diuinæ potentie concurrat ad miracula patranda, quæ eam tempore præcesserunt: nam quidquid dicant aliqui Thomistæ, res quæ non existit & quæ non habet esse reale, non potest concurrere prædictis modis ad alicuius productionem. non tanquam instrumentum physicum, cum illud exerceat physicam causalitatem & physicum influxum habeat in effectum ad quem concurrat: hæc autem causalitas & hic influxus prærequirit esse reale causæ. Non potest etiam concurrere applicando diuinam virtutem modo explicato præcedenti conclusionē, quia talis applicatio fit mediante actu voluntatis, vt patet ex dictis. constat autem id quod non est non posse elicere actum voluntatis quo

10.

Non potest
ca vis esse
qualitas vel
motus artifi-
ciosus.

Explicatio
Suarez.

2. Sententiæ
Christum
concurrere
tantum mo-
raliter.
Durand.
Vasq.
Becanus.
Ragusa.

1. Conclusio
Humanitas
Christi co-
currat per
modum de-
ferentis di-
uinam vir-
tutem.

12.

2. Conclusio
Non con-
currat ad
quæ tem-
pore præ-
cesserunt.

cupiat

cupiat diuinam virtutem sese applicare ad miraculum patrandum, cum talis volitio sit opus vite, id autem quod non est, non potest dici viuere.

Dico 3. Christi humanitas non videtur physice concurrere ad miraculosas operationes, sed tantum moraliter.

Prob. 1. Christi humanitas non habet ullam virtutem inchoatam ad opera miraculosa patranda; igitur non videtur assumi illa patranda tanquam physicum instrumentum. Prob. consequens. quod diuina virtute eleuatur ultra suas vires ad aliquid efficiendum, debet circa illud habere inchoatam saltem virtutem; cum non eleuetur nisi vel per internam virtutem additam, vel per assistentiam peculiarem Deo, quæ in actu primo est paratus modo extraordinario cum creatura ad hoc vel illud opus concurrere. Priusmodus exclusus est in explicatione prioris sententia. de posteriori patet, quia quod nullam habet vim saltem inchoatam ad aliquid effectum, non potest dici villo modo concurrere & præbere physicum influxum, & proinde non potest dici eleuari per illam assistentiam. Prob. huiusmodi assistentia nullam ponit intrinsecam virtutem actiuam in creatura, vt supponitur; igitur res quæ nullam habet virtutem actiuam saltem inchoatam non potest dici eleuari per diuinam assistentiam. Diuina virtus potest quidem ad præsentiam talis rei extraordinarie operari, non potest tamen dici illi cooperari, nam cooperari inuoluit quod alterum operetur, non potest dici operari quod nullam planè habet virtutem operandi. Vnde videtur inuoluere contradictionem quod res quæ nullam omnino habet potentiam actiuam assumi possit tanquam physicum instrumentum ad miracula patranda, & quod inde sequitur videtur inuoluere contradictionem quod sit potentia obedientialis in ordine ad aliquid effectum in re quapiam quæ respectu talis effectus nullam habet virtutem inchoatam. Vnde si existentia realiter distinguatur ab essentia, communis iudicio nullam habet actiuitatem, vnde dico videri implicare contradictionem quod possit assumi tanquam physicum instrumentum ad illud opus perficiendum.

Conf. nisi admitatur hoc principium, non videtur posse assignari ratio cur intellectus possit eleuari ad Deum clarè videndum, non autem possit eleuari oculus corporeus. dantur quidem varietates, sed omnes desunt tandem in id terminari quod in oculo ne quidem sit virtus inchoata, per quam aliquo saltem modo possit ferri in Deum illum cognoscendo; intellectus verò possit naturaliter saltem imperfectè Deum nosse, & proinde hic possit eleuari ad eum clarè cognoscendum, non verò oculus; & in intellectu sit potentia obedientialis ad claram Dei visionem non autem in oculo, 2. nisi id amittatur, Thomistæ non possunt commodam reddere rationem cur non possit creatura assumi vt instrumentum creationis.

Hoc posito an recedens argumenti probatur: in vocem sonum non est vlla vis inchoata ad opera miraculosa, similiter nec in tactu; actus voluntatis non potest etiam huiusmodi virtutem habere, vt videtur patere.

Conf. peculiariter de resurrectione mortuorum, pro qua non videtur posse explicari quamnam virtus creata inchoata.

Prob. 2. iuxta priorem sententiam non solum humanitas seipsa immediatè concurrat ad opera

miraculosa, sed & vox, tactus &c. quibus mediantibus Christus interdum miracula patravit, atque adeò sonus, tactus debent dici instrumenta humanitatis Christi, & respectu illius habere potentiam obedientialem: atqui potentia obedientialis non est respectu creaturæ, sed respectu Dei, cui creatura subiicitur quoad ea quæ non inuolunt contradictionem; ergo minus consequenter hæc dicuntur concurrere vt instrumenta physica ad miraculorum patratiorem.

3. Quando Christus miracula operabatur verbis, vel tota oratio & totus sonus verborum concurrerebat ad miraculum, vel pars miraculi respondebat parti orationis & soni. Posterius dici nequit in resurrectione mortui quæ fit in instanti, in resurrectione visus, si dicatur prius; non potuit concurrere physice, cum priores partes soni desinerent esse antequam succederent posteriores, & proinde nullum haberent esse reale quando ipsum opus miraculosum fieret, & per consequens nullum realem influxum habere possent. quod argumentum latius prosequitur q. 62. agentes de causalitate sacramentorum.

4. Vt non esset impossibile humanitatem concurrere physice ad miracula; id non statim videtur asserendum; cum causalitas instrumentalis non magnopere conferat ad dignitatem humanam naturæ in Christo: parum enim dignitatis accedit, quod illa nullam vim habens proportionatam effectui sit merum instrumentum, sicut secundum alteram sententiam posset esse qualibet res etiam vilissima; ergo ex eo capite nihil magnopere vrget vt illam causalitatem humanitati tribuamus.

Neque etiam vrget scriptura; cum ex eadem constet Christum per modum imperantis miracula patrasse, vt cum Matth. 8. dixit, *Idolo munda te*, item cum eodem *sap. imperauit ventis*; cum Lucæ 7. dixit; *adulescenti tibi dico surge*. Ioannis 11. *Lazare ueniforas*. Item cum imperauit demonio vt obmutesceret, &c. quæ magis denotant modum concurrendi moralem; ergo ex scriptura magis colligitur quod Christus in quantum homo moraliter concurrerit ad miracula, physicus autem concursus non ita apparet.

Dices alijs locis patet concurrisse physice.

Resp. neg. assumpt. nam locutio in alijs locis est indeterminata, quæ non minus potest aptari modo & causalitati morali quam physica. loca autem à nobis relata necessariò debent explicari de causalitate morali, & secundum illa possunt alia commodè explicari.

Præterea locis à nobis relatis videtur agi de causa principali miraculorum; igitur ex illis non potest elici instrumentalis physica causalitas ipsius humanitatis, sed potius principalis in suo genere; ita vt Christus illis locis videatur patrasse miracula vt causa principalis, non solum vt Deus, sed etiam vt homo; vt Deus quidem physice, vt homo verò moraliter ex potestate morali quæ concessa est eius humanitati in res omnes quatenus fini incarnationis congruebat; ita vt non precibus, &c. sed ex imperio demones eijceret, mortuos suscitaret, diuinam virtute illi moraliter assistente ad ea patranda etiam supra naturæ ordinem quæ vellet humanitas; quæ maxima est dignitas in humanitate. Quemadmodum is censeretur maximæ dignitatis qui tantà apud Regem polleret auctoritate, vt quæcumque vellet, Rex mandaret executioni; ita se res habet in præsentis; & proinde hæc causalitas maximam Christo homini adfert dignitatem.

Potentia obedientialis non est respectu creaturæ sed respectu Dei.

Prob. 3.

16.

Prob. 4.

Causalitas instrumentalis non magnopere conferat ad dignitatem Christi.

Matth. 8. Luc. 7. Ioan. 11.

Scripturae magis indicant modum concurrendi moralem, quam physicum. Replica. Dissoluitur.

17.

tatem. Prætereo argumenta quadam, quæ peculiariter possunt militare contra eos qui ne quidem de potentia Dei absoluta censent aliquid posse agere in distans.

Coroll. 1.

18.
Christi humanitas non est causa physica gratiæ

Rom. 8.

Conformiter ad ista dico humanitatem non producere physicè gratiam in anima iustorum; quamvis Christus varijs modis sit nobis causa gratiæ. 1. per modum causæ finalis nam gratia confertur iustis ut Deo & Christo gloria & nominis exaltatio obueniat. 2. per modum causæ exemplaris; quia iusti per gratiam fiunt conformes imaginis filij Dei, ad Rom. 8. 3. per modum causæ meritorie, & quidem tanquam principalis in illo genere. Præterea natura humana existens vel ratione sacramentorum potest dici concurrere ad productionem gratiæ tanquam applicans diuinam potentiam.

Coroll. 2.

19.
Satislit argumentis contrariæ sententiæ. Ad 1. Resp. Varia explicatio locorum scripturæ.

Matth. 6.

Idem 2. dico de sanctis & eorum reliquijs, quod videlicet solum moraliter concurrant ad miracula.

Ad argumenta prioris sententiæ resp. Ad 1. ex scriptura petium dico ex sententijs ex S. Luca citatis nullo modo probari posse physicam causalitatem humanitatis, ut patet ex paulo antè dictis.

2. Dicitur potest quod Evangelista per huiusmodi sententijs, *virtus de illo exibat: non virtus de me exisse*, solum velit in genere intelligere ipsum miraculum & effectum, quem iuxta phrasim scripturæ appellavit virtutem: sic enim dicitur Marci 6. *non poterat ibi virtutem ullam facere*, id est, vllum miraculum patrare.

3. Potest sententia verificari ratione diuinitatis, per quam tanquam per causam principalem & physicè influentem Christus miraculū patravit; quam tamen virtutem modo suprà explicato humanitas eo loco applicauerit mediante tactu carnis suæ.

Idem dico ad locum Matth. 8. 1. quod miraculum commodè tribuatur Christo per diuinitatem operanti tanquam causæ physicæ. 2. quod eidem tribui possit ratione humanitatis suo modo applicantis diuinam virtutem, & in suo ordine tanquam causæ principalis. 3. tactui quem eo loco voluit adhibere; ubi obiter

Notandum quod licet Christus solo interiori voluntatis actu potuerit miracula patrare, potuerit etiam patrare solo imperio, quod ex pluribus locis Evangelij fecisse constat; nihilominus frequenter adhibuerit contactum; ut scilicet hac ratione turbæ maiori veneratione sanctissimam eius humanitatem & carnem prosequerentur, & inducerentur ad credendum quod illa caro esset caro filij Dei, eidem in vnitate personæ coniuncta. Cum enim miracula illius eo tenderent, ut per illa innotesceret hunc hominem esse filium Dei, id autem moraliter loquendo optimè probaretur si actio aliqua externa ipsius corporis adhiberetur, & inter alias tactus, conuenienter in miraculorum patratiōe frequenter vsus est contactu carnis suæ. ex his

20.
Ad secundum.

Christi pro quâ ratione viuunt. Matrx.

Ad 2. argumentum Resp. Concilium nolle quidquam in alterutram partem decernere de modo causandi ipsius carnis Christi, sed solum credere id quod est de fide contra Nestorium, scilicet carnem Christi non esse alterius suppositi coniuncti filio Dei per dignitatem, sed esse propriam ipsius Verbi, & ita viuificatricem, scilicet ratione Verbi ipsi substantialiter vniti; cuius virtutem & potentiam applicat tanquam eiusdem organum. Id clarè patet ex verbis canonis.

Simili ratione potest explicari Sophronius, scilicet quod solum velit miracula per carnem effecta, quatenus deferebat, & applicabat diuinam

virtutem ad patranda opera miraculosa. Possunt etiam explicari varia loca Patrum, qui videntur indicare carnem Christi habere virtutem circa miracula; possunt, inquam, explicari quod solum velint huiusmodi virtutem tribui carni Christi ratione latentis diuinitatis, quam poterat applicare ad miracula patranda prout congruebat fini Incarnationis, & hoc sensu dici diuinitatis instrumentum, non operans physicè miracula, sed moraliter ratione sæpius explicata.

Ad 3. Resp. Gregorium solum velle sanctos patrantes miracula non semper præmisisse preces saltem exterius, sed interdum suo nutu ea patrassè, nihil determinando de modo causalitatis.

Ad 4. patet responsi ex dictis in confirmationem secundæ sententiæ. ostendimus enim videri implicare contradictionem, quod talis potestas communicetur creaturæ. 2. ut non implicaret, non magnopere conferre ad dignitatem humanitatis.

Ad confirmationem Resp. optimè explicari quomodo humanitas & caro Christi sit & dicatur organū & instrumentum diuinitatis, licet non concurrat physicè ad miracula; dicatur, inquam, instrumentum applicando diuinam virtutem ad illa patranda. Quod vocabulum, *instrumentum*, non conuincat ut asseramus humanitatem physicè concurrere, patet ex eo quod non solum dentur instrumenta physica, sed etiam moralia, ut deducimus agentes de causalitate sacramentorum.

Ad 5. petium ex auctoritate S. Thom. Resp. ex eo loco S. Thom. non probari physicam causalitatem, cum, ut ostendimus, instrumentū possit etiam dici de morali; & de tali commodè intelligi potest S. Thom.

Nec obstat quod sentiat humanitatem non esse instrumentum respectu annihilationis; non enim vult quod nullo modo possit ad annihilationem moraliter concurrere, sed solum quod non sit re ipsa ad hoc ordinata, cum id non sit conueniens ad finem Incarnationis. Idem dici potest ad varia quæ ex eodè adferri possunt. quidquid enim velint aliqui, vel mens S. Th. est dubia, vel ex eo potius colligitur causalitas moralis, ut etiam facietur Lorca disp. 53. num. 7. Certè pro causalitate morali videtur multum facere doctrina eiusdem S. Doctoris 2.2. q. 178. art. 1. ad 1.

ARTICVLVS III.

Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu proprii corporis?

Quod præcedenti art. in genere quæsierat, in præsentī quærit per ordinem ad corpus proprium, respondetque duabus conclusionibus.

Prior est, anima Christi secundum propriam naturam & virtutem non poterat immutare corpus proprium à naturali dispositione.

Posterior, animæ in quantum erat instrumentum Verbi, cui vniebatur in persona, subdebat totaliter dispositio proprii corporis. Addit tamen non ideo tribuendam animæ omnipotentiam etiam respectu proprii corporis.

Notandū quod licet anima Christi multa potuerit circa corpus proprium, non tamen potuerit propriam virtutem mutare naturalem eius constitutionem, nec potuerit illud in pluribus locis collocare, vel in puncto; quod poterat tanquam Verbi virtute.

Verbi instrumentum; quemadmodum diuina virtute ambulauit super aquas.

ARTICVLVS IV.

Virum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu executionis suae voluntatis.

RESPONDET I. animam Christi potuisse quicquid voluit perfecte implendum: nam contrarium non decuisset eius sapientiam.

Respondet 2. quicquid voluit diuina virtute implendum, id potuisse facere tanquam instrumentum diuinitatis.

DVBIUM.

An id quod Christus fieri voluit per alios semper fuerit impletum?

RATIO dubitandi petitur ex Marci. 7. vbi dicitur ingressus domum (scilicet Iesus) neminem voluit scire, & non potuit latere. eodem cap. in fine sanato surdo & muto dicitur, precepit illis ne cui dicerent, quoniam autem eis preceperat tantum magis plus praedicabant. Matth. 9. sanatis duobus caecis, comminatus est dicens, videte ne quis sciatis, illi autem exenitantes disperserunt eum in tota terra illa.

2. Ex epistola Agathonis Papae quae habetur in 6. Synodo, vbi ex priore loco Marci probat duplicem in Christo fuisse voluntatem, quia de diuina voluntate dici nequit, noluit aliquem scire, & non potuit latere. Ex his videtur omnino sequi quod Christus voluerit aliquid efficaciter per alios implendum; quod tamen impletum non fuerit. Et ita videtur sentire S. Th. responsione ad 1. Caiet. hic & expressè tenet Vasq. disp. 58. cap. 2.

Alij negant Christum quicquam voluisse voluntate efficaci per alios implendum, quod impletum non fuerit. Med. hic Val. disp. 1. q. 13. puncto 4. Lora disp. 54. & communiter Theologi.

1. Quia efficax Christi voluntas fuit perfecte conformis voluntati diuinae, igitur per eam non potuit velle quicquam quod sciebat non futurum.

2. Christus perfecte sciebat quid per alios effect facendum, vel non faciendum; ergo non potuit velle efficaciter contrarium sine magna indecentia, quoniam nullo modo debemus Christo tribuere.

3. Voluntas efficax non potest ferri in id quod clare cognoscitur non futurum; cum id perinde sit ac si cognosceretur impossibile. hec sententia communior, videtur omnino verior. itaque

Ad 1. rationem dubitandi Resp. ex locis Evangelij non colligi id quod intendit prima sententia; & dico quod Christus non voluerit latere voluntate efficaci, sed solum inefficaci, non quidem quae interitus latuerit, nec villo modo prodierit in opus, sed ea ex qua adhibuerit media proportionata communi modo procedendi hominum, & quae in alijs essent signum voluntatis efficacis, quibus tamen adhibitis non potuerit latere, vel non potuerit efficere ut eius miracula non diuulgarentur.

Ad 2. sumptum ex epistola Agathonis respondet Med. supra, expositionem Agathonis solum esse probabilem. Verum ea solutio nullo modo vide-

tur satisfacere: melius ergo dici potest Pontificem non velle ostendere in Christo duplicem fuisse voluntatem ex eo quod aliqua eius voluntas non fuerit impleta, idque habeatur ex loco Marci citato, sed quod aliqua voluerit per unam voluntatem etiam adhibitis medijs proportionatis, quae tamen non fuerint impleta. quod de diuina voluntate dici nequit. Non potest enim dici quod Deus aliquid velit & adhibeat consentanea media diuinae voluntati, nec tamen illud fiat. Id solum probat discursus Vasq. & si plus velit, non videtur satis sibi constare. quia non potest dici Christum id voluisse voluntate efficaci, cuius contrarium voluntate efficaci voluit.

Explicatur Agath.

QUESTIO XIV.

De defectibus corporis assumptis à filio Dei.

ARTICVLVS I.

Virum filius Dei in humana natura assumere debuerit corporis defectus?



FIRMAT. I. quia pro nobis satisfecit; vnus autem satisfecit pro alio, dum suscipit in se penam pro alterius peccato debitam. 2. ad fidem Incarnationis adstruendam, ut scilicet ostenderet se esse verum hominem. 3. propter exemplum quod nobis praeberet debuit.

Veritatem hanc negarunt aliqui haeretici, ij scilicet qui negarunt veritatem carnis Christi, ei tribuentes corpus caeleste, de quibus supra egimus. Negarunt etiam alij, licet assererent Verbum assumptisse corpus eiusdem nobiscum substantiae, dicentes illud fuisse impassibile; cuius haereseos auctores Damasc. haer. 84. facit Iulianum Halicarnassum & Caianum Alexandrinum. Quorum haereseos varijs scripturae locis facile possunt refutari, & doctrina S. Thom. comprobati. Isa 53. *Ve- re languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit*, quo loco, ut patet ex textu, designatur quod Christus nostras infirmitates in se suscepit, quas propter peccata subire debebamus.

1. Resp. affir.

Qui negant Christum assumptisse corpus defectus.

Refellitur. Isa. 53.

Præcluditur euasio,

Nec obstat quod Matth. cap. 8. postquam Christus Dominus eiecisset demonia, & male habentes curasset, dicatur, *ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam dicentem, ipse infirmitates nostras accepit, & agrotationes nostras portauit*: ita ut non significetur Christum dolores in se suscepisse, sed ab alijs abstulisse, & morbos depulisse. Dico enim id quidem significari, sed significari etiam quod in se suscepit, ut patet ex sequentibus apud Isaiam; quauis Euangelista eum sensum non retulerit, utpote ad ipsius institutum parum faciētem. Matth. 4. *esurij Ioannis 4. fatigatus fuit. cap. 19. sicut. Luc. 24. nunc haec oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam*. Videri potest Apostolus ad Heb. 2. & 5. Vnde patet esse de fide quod Christus assumptum corpus passibile, & varios eius defectus in se suscepit, quae veritas habetur etiam in epistola Sophronij actione 11. 6. Synodi generalis approbata actione 13. & in Concilio Lateranensi sub Martino 1. can. 4.

Matth. 4. Ioan. 4. & 19. Luc. 24. Heb. 2. & 5.

6. Syn. Con Lat.

Circa rationes S. Thom. notandum, licet Christus potuisset per quemlibet actum etiam inter-

num